

bus com-
mendata.

tium fecerunt, id quod Theodoretus *Histor. Eccles. Lib. IV. Cap. XX.* exemplo Didymi Alexandrini comprobat, qui cum a puero oculis orbatus esset, cum aliorum studiorum, tum poeticæ *μαθήματα* aurium adjumento didicit. Laudatur quoque Gregorius Nazianzenus quod multam ac diuturnam operam eloquentiæ ac poëticæ dederit, & S. Basilius *in Epistola ad Adolescentes de utilitate ex scriptis percipienda* monet eos, ut poetas æque ac historicos & rhetores familiares sibi reddant; nec aliud egisse Homerum ac Hesiodum docet, quam ut ad virtutem homines cohortarentur. Eandemque B. Lutero nostro mentem fuisse argumento est, quod *Tom. II. Jen. Germ. p. 468.* ad Bibliothecarum instaurationem hujusmodi libros conquirendos vult, *die zu den Sprachen zu lernen dienen / als die Poeten und Oratores, nicht angesehen / ob sie Heyden oder Christen wären.* Qui ipse mox subjungit: *Wie leid ist's mir jetzt / daß ich nicht mehr Poeten und Historien gelesen hab / und mich auch dieselben niemand gelehret hat.* A qua sententia nec Philippus Melanchthon abhorret, *Tom. II. Op. Tract. de Sac. Conc. p. 27.* ita scribens: *Quia hoc postremum genus (ex antithesi illustrandi orationem) plurimum ornamentorum recipit, diligenter venanda nobis sunt ea tum ex oratoribus, tum ex poëtis latinis, apud quos omnis dicendi ratio sepulta est. Neminem igitur Theologum pudeat nonnunquam vel orationem aliquam Ciceronis, vel Virgilii poëma manibus circumferre. Nam qui bene dicere volet, ille statim deprehendet*

bendet